



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 17. Geraldus Odo FF. Minorum Minister Generalis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV.  
A.C. 1331.

§. XVII.

*Geraldus Odo Fratrum Minorum  
Minister Generalis.*

n. 89.

n. 14.

**N**ovus Ordinis Minorum Minister Generalis Geraldus Odo simul scribebat Michaëli Cæsenati, confutans ejus epistolam 25 Aprilis datam. Id scriptum plus injuriarum quam rationum contineat: ac inter alia ibi Odo ait: Quis est ille Clerus Romanus, cui te dicis adhædere? Qui Avenione, qui Romæ, qui toto in orbe catholico est, obedit Papæ Joanni. Sed is, qui Savonæ agit sub Vicario, ut vocas, tuo Berengario Bochuffio, falso Archiepiscopo Genuensi, obsequitur Antipapæ seu Satanæ. Ubinam ergo est Romana Ecclesia, ad quam tu provocas? Dic, si nosti, quo translata fuerit. Et postea: Vis ardere studio fervandæ ad litteram regulæ, ac exactæ paupertatis: & tamen in Monacensi cubiculo tuo pecuniam tenes, & tradis Fratribus, quos ad negotia mittis tua; ita, ut Franciscus Asculensis tuæ culpæ socius, Como Monachium proficisciens octoginta florenos portaret secum; quos ei ademerunt prædones invitum docentes observare regulam. Sæpe etiam per orbem mittis Fratres juvenes, folos, ac perfo-

personatos, gerentes gladium & pecu- Sæcul. XIV.  
A.C. 1331.  
niam, omni tentationum generi exposi-  
tos. Dabat Perpiniani post decretum co-  
mitiorum generalium.

Geraldus Odo Avenionem reversus  
Papæ obtulit petitionem tria continen- Vad. 1331.  
n. 10.  
tem capita : Ut revocarentur omnes, Alvar. Pe-  
lag. l. 2. c. 67.  
fol. 168.  
quas Summi Præfules fecissent, declara-  
tiones regulæ S. Francisci, quippe pu-  
gnantes cum ejus voluntate in testamen-  
to exposita. Ut Papa veluti ex mente  
S. Francisci declararet Ministros posse la-  
xare mandata regulæ ad levandam faci-  
lius Fratrum anxietatem. Denique, ut  
ne præceptum abstinendi a tactu pecu-  
niæ obstaret, quin Fratres per hominem  
interpositum acciperent aliquam pro in-  
digentia infirmorum : atque ut hæc vox  
*infirmitas* inserta regulæ omnes corporis  
& animæ imbecillitates comprehende-  
ret. Geraldus quatuordecim Ministros  
Ordinis adduxit, ut ipsius exemplo alii  
sponte, metu alii hunc libellum supplicem  
sigillis obsignarent suis. Papæ coram  
multis Cardinalibus eum tradidit Geral-  
dus, existimans illi se placere, ac peta-  
sum sperans rubrum. Sic loquitur Alva-  
rus Pelagius, qui tunc erat Avenione,  
atque petitioni, quantum poterat, se op-  
ponebat. Adjungit Papam ad Geraldum  
dixisse : Sic duo regulæ capita in  
diversum interpretaris : neque credimus

ex

**Sæcul. XIV.**A.C. 1331.

ex mille Ordinis Fratribus vel unum fore, qui hac in re sentiret tecum. Cardinales, qui aderant, has expositiones adversari regulæ dicebant, irridebantque Geraldum omnes. Quidam eorum ad Alvarum, Certe, inquiebat, S. Francis-  
cus hodie nobiscum erat, cum apud Pa-  
pam essemus.

## §. XVIII.

*Archiepiscopus Magdeburgensis  
occiditur.*

**Cranz. Van-**  
**dal. I. 8. c. 13.** **P**er annos quatuor circiter Magdebur-  
gum divinis interdictum erat ob per-  
emptum Archiepiscopum. Is fuerat Bur-  
chardus Comes Scrapelavius, vir pius &  
moribus bonis, sed attentus ad conser-  
vanda Ecclesiæ suæ jura: quod gnaviter  
fortiterque agebat. Quapropter multa  
foris bella, multas domi contradictiones  
tam civium, quam Ecclesiæ suæ Mini-  
strorum sustinuit: sed per constantiam  
vicit suam. Oderant eum cives, quod  
malam ipsorum voluntatem reprimeret:  
& hoc odium fovebant multæ calumniæ.  
Archiepiscopus iis a se cedendum ra-  
tus reliquit urbem: & Clerus eum suus  
sequebatur: quanquam illi, e quibus hic  
constabat, non æquale in Præsulem stu-  
dium gerebant. Rediit is postea Mag-  
debur-